Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Angelius Johann Daniel Aepinus

Rectore Academiae Magnificentissimo Serenissimo Principe Ac Domino, Domino Friderico, Principe Hereditario Meclenbvrgico ... Diem Angelorum Gloriae Celebrandae Sacrvm, Civibvs Academicis Indicit, Sedvlam Virtvtvm Angelicarvm Imitationem

[Rostock]: Litteris Adlerianis, [1750?]

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn876732015

Druck Freier Zugang PUBLIC DOMAIN

T. 512.
1750.
Nith.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn876732015/phys_0001
DFG

T. 512.

1750 Michael.

~~A 1256.~~ 308.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn876732015/phys_0002
DFG

M. 1750

Q. D. B. V.

RECTORE
ACADEMIAE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO PRINCIPE
AC DOMINO,

DOMINO FRIDERICO,

PRINCIPE HEREDITARIO MECLEBVRGICO,
VANDALORVM, SVERINI AC RACEBVRGI, COMITE SVERINI, TERRARVM ROSTOCHIENSIVM ET STARGARDIENSIVM DOMINO,
DOMINO NOSTRO CLEMENTISSIMO,

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK ROSTOCK

DIEM
ANGELORUM GLORIAE CELEBRANDAE SACRVM,
CIVIBVS ACADEMICIS
INDICIT,
SEDVLAM VIRTVTVM ANGELICARVM IMITATIONEM
IPSIS
COMMENDANS,

ACADEMIAE ROSTOCHIENSIS
PRO-RECTOR,
ANGELIVS IO. DAN. AEPINVS,
ORATORIAE PROF. DVC. PVBL. ORD.
PHILOSOPHORVM ORDINIS h. DECANVS.

LITTERIS ADLERIANIS.

M. 1256 308

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn876732015/phys_0003
DFG

Ex his, quae Christianae fidei professorem præcipue decent officiis, illud, si quid recte iudicare valeo, princeps, primum, & quod reliquis facile fundamento est, duco, quod non actiones solum externas, verum & universas mentis agitationes eo dirigere iubet, vt sanctior indies atque ad Divini Numinis LL. magis composita tota vita evadat, animusque fortiori semper firmioriqué conatu in recta tantum, aequa & iusta feratur. Poscunt hoc, quin iubent S. litterae, crebris admonitionibus sanctitatis studium nobis præcipientes; suadet idem ratio, quoties de felicitatis obtinendae mediis sollicita, suae consulere infirmitati laborat. Atque præstant sane, quæcunque hunc in finem a nobis impenduntur curae multum iis, quas in nuda rerum speculativarum contemplatione vel abstracta perplexarum quæstionum consideratione ponimus, dum in tota vita mentem vel turbidam tranquillando vel depressam reficiendo, vel incautam monendo, uberrimos exserunt fructus.

Nolu-

Nolumus haec latius exponere, iis scribentes, qui ex diuinis litteris abunde vel didicerunt, vel quos didicisse tamen oportuit, quanta sit pietatis probaeque vitae cum vera in DEVM fide, quamque necessaria coniunctio. Verum attingenda tamen erant, sequentis scriptionis rationem reddituris. Scilicet, dum sacras meditationes, angelorum, vel potius domini angelorum gloriae convenientes Civibus Academiæ commendare, muneris, quo fungimur, ratio nos iubet, eam inprimis tractationem suscipere placuit, quae non intellectum solum auget, verum voluntatem potius movet & ad vitam pie beneque gerendam incitat atque impellit. Neque ex longinquo nobis arcessenda fuit, quæ scopo huic sufficeret dicendi materia. Vel enim summae istae perfectaeque, quibus Sancti Numinis ministri excellunt virtutes, leviter eas-dem intuenti ita statim semet commendant, vt altiori meditatione non modo, sed sedula quoque imitatione dignissimae videantur. Et hoc ipsum est, quod, quantum temporis paginaeque augustiae ferent, persequi decrevimus, omnem hanc causam duabus complexuri disquisitionibus, altera huius imitationis necessitatem, altera virtutes angelorum a nobis imitandas exponente.

Non desunt nobis, quibus virtutes angelorum imitandi necessitas evincitur, argumenta, eaque nisi fallimur, gravia satis certaque, quorum aliqua enumerabimus, non equidem ex rationum numero veritatem metientes, sed memores tamen, in morali quaestione argumentorum multitudinem suo non destitui usu fructuque. Atque huc primum referimus maximam illam harum virtutum praestantiam perfectionemque. Angelorum quippe in bono confirmatorum, eam esse indolem atque naturam, vt a peccandi potentia vel maxime remoti, non nisi in sancta, recta, voluntati divinae congrua, hinc bona perfectaque, propendant, quis esset, quem S. litterae non docuissent, aut quis esset, qui, persistentes ipsos in prima concreataque excellentia, non nisi in bonum ferri, eosdem ignoraret? Ita vero in bonis perfectisque tantum actionibus nunquam non occupati, atque nil nisi sanctissimum perficientes, qvo non in virtutis habitu progredi eosdem atque pertingere licebit? Sunt ipsi creaturae, finiti adeo suisque circumscripti limitibus, ex quo non sine veri specie coniicitur, &

eos per gradus ad altiora evehi, adeoque per eorundem actuum crebrius exercitium magis magisque iisdem assueſcere. Verum tamen, cum in contraria, quod in bono sunt confirmati, non ruant; cum pravis nunquam abripiantur cupidinibus, nunquam interruptos in solo virtutis studio facientes progressus, quantane eos potiri in hoc studio promtitudine dexteritateque, oportebit? Nil itaque a veritate alienum vel parum sibi constans affirmaret, qui, multo perfectiores eorundem virtutes esse nostris præstantioresque, contenderet.

Sic autem non sine ratione pondereque angelorum virtutes tanquam perfectius quoddam, praestantius atque excellentius exemplum nobis proponere debemus, ad quod nosmet nostrasque effingere actiones tenemur, cum in moralibus praecipue ea imitanda a nobis sint atque sectanda, quae maiori perfectionis gradu prae aliis gaudent, quaeque difficulter paululum queunt attingi, quo maior dein ex imitatione eiusmodi oriatur gloria, maiusque emolumentum. Neque quod tantum nos antecellant virtutibus suis angeli, ab imitationis isthoc studio arcere nosmet valebit. Quanquam enim plane referre simulacra ipsorum nobis in hac vita haud evenire queat, ob id tamen imitatio illa, quam praecipimus, haud erit omittenda spernendaue. Nam prouti recte ad strictissimum LL. diuinarum studium vel ipsa Scriptura monitore, excitamur, obligamurque, quas tamen plane explere nostrae non dabitur imbecillitati; ita nec ab exempli cuiusdam imitatione abhorrere nos decet, etsi difficulter illud & non sine molestiis assequi valeamus. Neque omni, aliquam virtutum nostrarum cum angelorum virtutibus conuenientiam exprimendi, spe caremus, cum ipsi essentia generica, quam vocant, eadem, quae nostra, constituantur, adeoque communes nonnullas nobiscum affectiones admittant, ex quibus facillime similitudo illa, indeque pendens imitationis possibilitas, patet.

Altera, quae minoris momenti non censenda est, & ad sedulam hanc imitationem nos allicere valet ratio, est, quod ista salutarem quandam proficuamque ad alterius vitae beatitudinem praeparationem continet. Qui ex scripturis vel aliquam futurae vitae cognitionem hausit, fugere eum haud poterit, quod ex

ipsa Redemtoris sanctissimi pronunciatione homines eadem potituri, ἰσάγγελοι sint extituri id quod loca Matth. XXII. 30. Marc. XII. 25. Luc. XX. 36. clarissime enunciant. Non in essentiae quadam convenientia consistere praedicatam hanc ἰσαγγελίαν, dudum alii probarunt, simul evincentes, similitudinem inter beatum angelorum, quo continuo fruuntur statum, eumque, quo nos aliquando potituri erimus, eandem universam conficere. Ast statum illum determinationum partim internarum, externarum partim conplexu qualitateque absolvi quis forte negabit? De his nobis h. l. sermo instituí nequit, qui nostruum cum angelis conformationem in hac vita proponimus, externarum illarum alterius vitae determinationum multum experte. Hinc priorum tantum nobis ratio habenda est, dum virtutum nostrarum cum angelorum virtutibus similitudinem in hac vita obtinendam praecipimus. Eas vero tum animi mentisque agitationibus tum appetitionibus volitionibusque, tum fluentibus inde actionibus, constare, ita patet, ut ne mentione quidem indigere videatur. Atque sic ἰσαγγελίαν, ad quam aliquando pertingemus, ex parte quadam tum in hac vita consectari nobis licebit, si ita omnes nostras tum cogitationes tum volitiones direxerimus, ut quoddam, earum, quibus angeli sancti occupantur, simulacrum sint atque exemplar. Iam vero vix invenio, curulterius imitationem virtutum, quibus angeli praestant, in hac vita instituendam, multis verbis proponerem, cum quo magis propiusque ad beatae illius vitae similitudinem accedimus, eo propius finem nobis praestitutum attigisse dicamur.

Et huic aliam adhuc suadentem imitationem istam vel potius iubentem statim iungimus causam. Perstiterunt angeli boni, quod scripturae testantur, in summo illo perfectionum quo conditi sunt, statu, ex quo ad concreatam ipsis atque servatam imaginem divinam, theologi non vana ratione concludunt. Quo itaque propius ad similitudinem illorum acceditur, quo maior est cum illis convenientia, eo quoque maior ducenda est appropinquatio illa ad imaginem divinam, fataliprimorum hominum lapsu amissam, sed in futura aliquando vita in nobis restituendam; eo maior est ad unionem illam fidelium cum DEo imperfecta quidem in hac vita, non tamen omnino non obtinendam, accessio.

Quae cum vnica ferme, certe potissima verae nostrae felicitatis ratio sit causaque, quis pertingendi ad eandem mediis vel non lubens utetur, vel necessaria eadem non iudicabit?

Sufficiant isthaec vero argumenta, pro evincenda necessaria illa virtutum angelicarum in hac vita imitatione, quibus plura adhuc adiicere possemus, nisi scriptionis huius scopus id vetaret. Non tamen non possumus, quin hic statim operam quandam desideremus, quae ex ipsa angelorum sanctorum natura operationibusque, quoad scilicet istae ex ratione tum, tum ex reuelatione innotescunt, certa firmaque ratione, quaenam angelorum bonorum sint mentes, qvibus ducantur motivis, in quas ferantur actiones, quaque ratione easdem efficiant, latius deduceret atque sigillatim euolueret. Ita namque, quae praecipue a nobis imitatione sint consequenda & in quo studium nostrum poni debeat, plenius pateret clariusque. In quo vero negotio eum tantum versari oportebit, qui praeiudiciis sepositis, nil sine ratione causaque sumeret, ne in vitium ruat, quod Pontificiorum dogmata de angelis, romanensibus fabulis plerumque haud absimilia, commaculauit.

Est illud alterum, quod praesenti tractatione complecti decreueramus, argumentum, quod vero exhaurire adeo non possumus, vt vel leuissimam ipsius delineationem vix ac ne vix quidem, dare queamus. Opus istud requireret, cui scribendo non folium sufficit; quare generatim tantum quaedam ad hanc causam pertinentia proferemus.

Omnes angelorum cogitationes ex perpetua illa visione Dei intuitiua Matth. XVIII. 10. ortum suum ducere, nemo facile inficiabitur. Quam vero sanctae erunt, quam purae, quam perfectae, quae ex tali fonte proficiscuntur animi conformationes? Quodsi ergo ex eadem intuitione diuinarum perfectionum nostrae omnes deriuarentur repraesentationes, quam felix earundem cum angelicis foret commercium similitudoque! Non equidem ista nobis in hac vita euenire potest, qua angeli gaudent, vtpote quorum cognitio multo nostra, in speculo quasi diuina percipiente, superior est perfectiorque; at vero quodammodo, si continua Numinis rerumque diuinarum contemplatione animum pascimus

eo,

eo nobis progredi licebit, vt ex ſummarum diuinarum perfectionum meditatione, reliqua, quae animo voluimus, procedant. Imitaturo itaque angelorum virtutes id primum erit princepsque negotium, vt cunctis mentis ſuae agitationibus in Deum resque feratur diuinas, vt ex opere continuo niſu creatorem cognoſcat, vt perpetua Numinis conſideratione quidquid animo comprehendit, conſtituatur abſoluaturque.

Fluit hinc alterum, volitionum ſcilicet, appetitionumque ſanctitas excellentiaque. Quae enim ex ſanctiſſimis cogitationibus prodeunt, non niſi ſanctae puraeque eſſe poterunt propenſiones. Hinc itaque ſtudium iſtud continua laude Deum praedicandi, Luc. II. 13. ipſius mandata exſequendi, eum adorandi, aliaque plura erga Deum officia, quorum paſſim ſcriptura meminit, quibusque angeli perpetuo funguntur, a nobis quoque felici ſatis niſu perficientur. Hinc in officiis aliis praeſtandis ſegnes haud deſidesque inueniemur, qui, quod Scriptura tradit, tantam in angelis promouendi creaturarum commoda promtitudinem deprehendentes, noſtrisque etiam factis prodere ſtudebimus. Hinc non niſi aequa, iuſta, quin ſancta omnino vel appetemus, vel ipſa actione efficiemus, atque omnis vita noſtra, quod hominem chriſtianum decet, Apoſtolo praecipiente, Philipp III. 20. in cœlis erit, licet vel ipſi inſtabilis huius vitae aura veſcamur.

Non erit, CIVES ACADEMIAE OPTIMI cur prolixiori & ad rimandum altius hanc meditationem, & ad exequendum eandem, noſtra admonitione excitemus. Quanta ſit exemplorum in moralibus praecipue vis atque potentia, neminem veſtruum fugiet, vel facile ex harum veritatum ſcriptoribus haurietur. Vid. PERILL. *de* WOLFF. *Philoſ. practica Uniuerſ. P. II. Cap. II. §.* 273. *ſq.* Neque ad coecam vos imitationem commentatione praeſenti permovemus, qui quam perfectum nobis aemulatione neque dignum angeli praebeant exemplum, ſupra docuimus. Patet inde ſumma virtutum angelicarum perfectio, quas tuti adeo ſequi poteritis. Et vel ipſa angelorum ſanctorum naturalis bonitas ſufficit, ut quicquid ab ipſis committi intelligimus, & noſtra exprimamus actione. Vel autem eo magis ad exemplum hoc nosmet componere oportebit, quo plures ſunt, quo gravio-


res

res quae iudicia noſtra de actionum committendarum omittendarumue perfectione dubia reddunt, fluxa incertaque rationes; quo maior eſt intellectus noſtri infirmitas debilitasque, quoties actionum bonitatem metitur; quoque certiores de aequitate eorum, quae ab angelis bonis proficiſcuntur, exiſtimus. Recte SENECA, longum eſſe iter per praecepta, breue per exempla, prudenterque pronunciauit; Quidni ergo nos in ardua re difficilique, qualis bonarum actionum exercitium eſt, breuem illam ingredi viam percupiemus? Id cum ſapientis prudentisque viri ſit, nemo noſtruum vel omittet temere; vel quae eo ſpectant conſilia, ſupercilioſe contemnet.

P. P. ſub Sigillo Academico,

D. III. Calend. Octobr. qui Angelis ſacer eſt,

A. R. S. cIↃIↃCCL.



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn876732015/phys_0012
DFG

eo nobis progredi licebit, vt ex ſummarum diuinarum perfectionum meditatione, reliqua, quae animo voluimus, procedant. Imitaturo itaque angelorum virtutes id primum erit princepsque negotium, vt cunctis mentis ſuae agitationibus in Deum resque feratur diuinas, vt ex opere continuo niſu creatorem cognoſcat, vt perpetua Numinis conſideratione quidquid animo comprehendit, conſtituatur abſoluaturque.

Fluit hinc alterum, volitionum ſcilicet, appetitionumque ſanctitas excellentiaque. Quae enim ex ſanctiſſimis cogitationibus prodeunt, non niſi ſanctae puraeque eſſe poterunt propenſiones. Hinc itaque ſtudium iſtud continua laude Deum praedicandi, Luc. II. 13. ipſius mandata exſequendi, eum adorandi, aliaque plura erga Deum officia, quorum paſſim ſcriptura meminit, quibusque angeli perpetuo funguntur, a nobis quoque felici ſatis niſu perficientur. Hinc in officiis aliis praeſtandis ſegnes haud deſidesque inueniemur, qui, quod Scriptura tradit, tantam in angelis promouendi creaturarum commoda promtitudinem deprehendentes, noſtrisque etiam factis prodere ſtudebimus. Hinc non niſi aequa, iuſta, quin ſancta omnino vel appetemus, vel ipſa actione efficiemus, atque omnis vita noſtra, quod hominem chriſtianum decet, Apoſtolo praecipiente, Philipp III. 20. in cœlis erit, licet vel ipſi inſtabilis huius vitae aura veſcamur.

Non erit, CIVES ACADEMIAE OPTIMI cur prolixiori & ad rimandum altius hanc meditationem, & ad exequendum eandem, noſtra admonitione excitemus. Quanta ſit exemplorum in moralibus praecipue vis atque potentia, neminem veſtruum fugiet, vel facile ex harum veritatum ſcriptoribus haurietur. Vid. PERILL. *de* WOLFF. *Philoſ. practica Uniuerſ. P. II. Cap. II. §.* 273. *ſq.* Neque ad coecam vos imitationem commentatione praeſenti permovemus, qui quam perfectum nobis aemulationeque dignum angeli praebeant exemplum, ſupra docuimus. Patet inde ſumma virtutum angelicarum perfectio, quas tuti adeo ſequi poteritis. Et vel ipſa angelorum ſanctorum naturalis bonitas ſufficit, ut quicquid ab ipſis committi intelligimus, & noſtra exprimamus actione. Vel autem eo magis ad exemplum hoc nosmet componere oportebit, quo plures ſunt, quo gravio-

res